



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 1. Æquiùs ferri ea, quæ à Deo, quàm quæ à Fortuna putantur esse  
profecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](#)

24 Cap. II. Remedium patientiae est,

C A P V T . II.

Remedium patientiae est, scire C A S V S  
à Deo esse; quibus hominem vel ex-  
tollit, vel deprimit.

§. I.

Æquius ferri ea, quæ à Deo, quam quæ à  
Fortuna putantur esse profecta.

Cic. lib. 2.  
de Diuin,

Cic l. 14.  
ad Attic.

Terent.  
Adelph.

**H**oc est Fortuna, quod diximus, &  
aliud nihil. Immò ipse M. Tul. ait:  
*Quid est enim aliud, fors, quid for-  
tuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic ali-  
quid cecidit, sic euenit, ut vel non cadere, atque  
euenire, vel aliter cadere atque euenire potue-  
rit? Quod cum ita sit, mirandum est, homi-  
nem tam sapientem, sui immorem, alibi  
Fortunæ tantùm tribuisse. Qui etiam illud  
ad Atticum suum scripsit: Sed hæc Fors vide-  
rit, ea, quæ talibus in rebus plus, quam ratio  
potest. Quantò sapientius Comicus ait?*

*Illud, quod cecidit Fortè, id arte corrigas.  
Etsi enim, quod factum est, infectum fieri  
non possit; potest tamen fortius tolerari, si  
ars, immò si virtus sit, qua agnoscatur à bo-  
no Deo permisum, aut immisum; quam si  
ab Ate aliqua, aut mala Fortuna existimetur  
præparatum. Nam multinominis est; &, vt  
docet*

docet Firmicus Maternus, in cœlo, veteres posuerunt, *bonam Fortunam, & malam Fortunam*. Bonam, quam *αγαθὴν τύχην* vocant, 5. ab horoscopo signo ; malam, quam *κακὴν τύχην* nominant , 6. ab horoscopo signo constituerunt. Vtramque, vt inquit Pacuvius, *insanam, & cœcam, & brutam esse prohibent*. Quis *cœcæ* non indignetur, quæ nihil cernit, quò se applicet ? quis non succenseat *insanæ*, quæ tam atrox & instabilis est, nulla de caussa ? quis non irascatur *brutæ*, quæ dignum, aut indignum nequit internoscere ? at, si quid à Deo est, est ab intuente omnia, est à sapiente, est à justo, est à bono. Necesse est ergo , & ipsum esse bona mente datum. AEquiūs autem etiam mala ferimus, si constet, bona mente profecta.

## §. II.

*Quām male quidam Fortunam, Casus,*  
*aut Fata accusent ?*

Vnde calamitatis suæ remedium habent, qui *Casus* finistros, atq; inopinatos iracundè ferunt: qui incendia, furta, rapinas, spoliations, naufragia *Fortuna* suæ iniurias ascribunt ; neque vñquam desinunt , *Sortis* suæ temeritatem accusare , identidem dicentes : *malo se astro natos ; Fortunam alijs*

B 5                    bene